



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

XCIX. Stephanus IV. Anno Christi 816. Ludovici Pii 3. Leonis Armeni 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

## XCIX.

## STEPHANUS IV.

ANNO CHRISTI 816.

LUDOVICI PII 3. LEONIS  
ARMENI 4.

STEPHANUS IV. Marini filius, Bar. an.  
 Romanus, anno 816. X. Kal. Jul. 816. §.  
 post Leonem III. successit. Qui statim 99. 100.  
 postquam Pontificatum suscepit, iussit om- Pag. §.  
 nem populum Romanum fidelitatem cum  
 iuramento promittere Ludovico Pio Ca-  
 roli Magni filio: (1) idque ea de causa,  
 ut tumultuari soliti Romani in Romanum  
 Pontificem (ut vidimus in Leone) eo  
 saltem modo coerceri possent. (2) Paulo  
 post concessit in Galliam, eundem  
 Ludovicum cum Irmingarda ejus  
 conjugē consecraturus. Gratissimus  
 ejus adventus fuit, tantoque honore  
 Remis exceptus, quantum Pontifici  
 summo haberi decet à Principe Chri-  
 stianissimo. Ludovicus, ut alla omit-  
 tam, Stephano Remos accedenti  
 obviam egressus, ter se ad pedes  
 ejus prostravit omni corpore, ante-  
 quam ipsum alloqui auderet. Ponti-  
 fex proximâ Die Dominicâ, in Ecclesia,  
 E 2 ante



ante Missarum solemniam, coram Clero  
 & omni populo consecravit eum & unxit  
 Bar. an. ad Imperatorem, & coronam auream  
 817. §. 1. mira pulchritudinis, & pretiosissimis gem-  
 Pag. §. 1. mis ornatam, quam secum apportaverat,  
 posuit supra caput ejus. Et Irmingar-  
 dam Reginam appellavit Augustam, &  
 posuit coronam auream super caput ejus.  
 (3) Novembri inito rediit Romam,  
 & IX. Kal. Februar. anni insequen-  
 tis 817. obiit, post mensem septimum,  
 quam Pontifex factus fuerat. (4)

## ANNOTATIONES.

(1) Theganus scriptor hujus ætatis,  
 Chorepiscopus Trevirensis, ut ait Baroni-  
 us ad an. 813. §. 12. in Annalibus de  
 gestis Ludovici Pii cap. 16. inter scriptores  
 Historiæ Francorum Duchesnii tom. 2.  
 pag. 278.

(2) Baronius ad an. 816. §. 99.  
 Pagius ad an. 789. §. 9. *Senatus, Po-  
 pulusque se fideles profitentur Pippino*  
 (ad eundem modum Ludovico) *tanquam*  
*suo Defensori.* Vide annotat. 3. ad Ser-  
 gium II.

(3) Theganus citatus cap. 17. apud Du-  
 chesnium tom. 2. pag. 278.

(4) Apud Gratianum dist. 63. cap. *Quid*  
*sancta* 28. exstat decretum inscriptum no-  
 mine Stephani Papæ, quo statuitur, ut



Pontifex electus presentibus Legatis Imperialibus consecratur. Baronius ad an. 816. §. 101. Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sac. IX. & X. cap. 1. art. 2. alique decretum illud huic Stephano IV. suppositum fuisse existimant. At Pagius ad an. 897. §. 4. legem hanc affirmat non ab hoc Stephano IV. sed à Stephano VI. aliis VII. revera promulgatam. Respicit lex hæc Romanæ Ecclesiæ defensionem, quæ pertinet ad Imperatorem, tanquam Ecclesiæ patronum. Ad munus autem defensoris Romanæ Ecclesiæ spectabat etiam custodia *Conclavis*, ut vocabulo utar novo ad explicandam rem antiquam; quæ custodia necessaria erat ad prohibendam vim, in electione summorum Pontificum aliquando adhiberi solitam à Romanis. Itaque Pontifices ipsi, ut malo huic remedium invenirent, decreverunt, electionem Pontificis faciendam coram Legatis Imperatoris, ut illi auctoritate suâ ac patrocinio Romanos continerent in officio. Cura verò mittendi legatos ad comitia Pontificia Imperatori, tanquam Ecclesiæ patrono, imposita est duntaxat post mortem Paschalis I. Hujus enim successor Eugenius II. ob turbas in electione sua coortas anno 825. cavavit, ut electio Romani Pontificis fieret presentibus Imperatoris Legatis, *ad vitanda in posterum comitorum dissidia*, ut dicit Pagius ad an. 825. §. 29. Eugenii II. decretum anno 847. confirmavit Leo IV. referente eodem Pagio ad an. eundem §. 9. postea anno 897. Stephanus VI. vulgò VII.



( & hujus decretum recitatur à Gratiano Idco memorato ) denique anno 904. Joannes IX. Hic enim Concilio Romæ celebrato constituit, ut consecrationi Pontificum *ab Imperatore directi intersint Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri*, ut est apud Baronium ad an. 904. §. 13. & apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 505. Vide annotat. 3. ad Joannem IX.

Sed cùm temporis progressu Imperatorum Legati turbas & factiones excitarent magis, quàm compescerent, custodiendæ *Conclavis* munus dederunt Pontifices Senatori Romano, qui fidem suam obligabat Pontifici jurisjurandi formulâ eâ, quæ est in Ordine Romano Centii Camerarii apud Mabillonium tom. 2. Musæi Italici cap. 48. pag. 215. At cùm hujus quoque viri auctoritate ac potentiâ oppugnaretur potius, quàm ex vetere primòque instituto defenderetur Ecclesia Romana, Nicolaus III. transtulit munus illud *ad minorum gentium præside*, ut hodie videmus, inquit Nicolaus Alemannus in dissertat. De Lateranensibus parietinis cap. 11. legiturque decretum in cap. *Fundamento* 17. *De Elect.* in 6. Hæc dixi secutus auctorem libri, qui inscribitur: *Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio*, cap. 105.